ORATIO

IN FUNERE

PII VII. P. M.

AVERSÆ IN ECCLESIA CATHEDRALI

POSTRIDIE NONAS SEPTEMBRES MDCCCXXIII.

HABITA

AB ANTONIO DIANA

IN AVERSANO CLERICORUM SEMINARIO SACRÆ THEOLOGIÆ

PRÆCEPTORE,

EJUSDEMQUE ECCLESIÆ CANONICO.

AVERSÆ MDCCCXXIII.

EX TYPOGRAPHIA S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Digitized by Google

Digitized by Google

ORATIO.

De Pio VII. summo, sanctissimoque Pontifice, totius Christiani nominis lucru, paucis ante diebus, vita defuncto, ad dicendum aggredienti, in ipso statim Orationis vestibulo, duarum rerum discerpit animum cogitatio. Primum enim, cum insolita illa Apostolicæ species fortitudinis, splendorque succurrit, qui sub ipsum mundi hujus veluti consenescentis occasum primaevam nascentis Ecclesiæ gloriam non solum oculis hisce nostris expressit, sed ipsis quoque animis, ac mentibus penitus infixit; omnino fieri non potest, Auditores Ornatissimi, quin hæc misera, ac teterrima rerum facies, lucis hujus squalentis imago, hicce funeris tristissimus apparatus, moesta isthæc, atrataque corona, hæc omnia denique tam pia, tam justa publici mœroris insignia, si minus in divinam tanti Pontificis virtutem injuriosa, at certe invisa mihi maximopere, nimisque importuna esse videantur. Nam si in illam, quae et nostra est, Beatorum Patriam fortissimis quibusque viris, qui a fidei veritate pulcherrime steterunt, expeditissimum patere aditum pro certo omnes, exploratoque habemus; nihil est enimvero, cur Pium VII. Pontificem Maximum, quorum egregie facta ad extremum usque spiritum studiosissime imitatus est, eorum etiam, confecto tandem vitae curriculo, felicitatem, gloriamque sempiternam assecutum fuisse dubitemus; illique potius gratulandum nobis esset, ac pompa, rituque solemni egestienlum, quam ut hoc lamentabili funere more, institutoque majorum parentemus. At

vero cum illud mecum animo reputo, scrioque perpendo, quantum Populus, Senatusque Romanus majestatis, et ornamenti, quantum luminis; decorisque sacrosancta Religio, quantum praesidii ad divina, humanaque omnia in unius hominis morte amisimus universi, ecquis erit tam efferatus, tam ferreus, ac plane insensibilis, qui tanti vulneris atrocitate perculsus non vehementissime commoveatur, non ingemiscat, non illacrymetur? Quamvis enim in tanta periculorum conflictione, quibus diu, multumque tentata est Optimi, Sanctissimique Pontificis patientia de lucro, eum, ut ajunt, vixisse, quod vixit, nemo non videat, planeque miraculo tribuatur, illum tam dire olim, crudeliterque habitum, ad tantam usque aetatem, spiritum, vitamque tenuisse, nec multo ante laboribus, aerumnisque confectum in ipso certamine animam efflasse; id tamen omne, utcumque ad leniendam doloris asperitatem pertinere posse videatur, efficere certe non potest, ut, cujus vita, pro immortalibus illius in rem omnem christianam promeritis, fuit omnibus jucundissima, ejusdem interitus non sit aeque omnibus peracerbus, longeque luctuosus. Quae cum ita sint, quid ego interea loci, quid gravissima haec inter, quae ab una, eademque causa proficiscuntur, et laetitiae cordis ejus, et publici, privatique luctus argumenta? quid consilii capiam, quam teneam dicendi viam, ac rationem? Illamne quae huic funeris apparationi accommodata in communibus id genus officiis a ceteris passim mortuorum laudatoribus iniri consuevit, an eo utar dicendi genere, laeto nimirum, ac triumphali, quod illorum proprium est, et singulare, qui bono certamine defuncti, incredibili gaudio perfusi in summa illa, fortunatissimaque statione, veluti in portu ab humanae vitae tempestate remoto, laetissime conquiescunt? Quid? Adeste animis, Auditores Or-

na-

patissimi. Hic enim ego, quantum facere, enitique potero, utrumque facile conjungam; itaque serviam tempori, ut quos honores Pontifici benemeritissimo lacrimis, ac multa acerbitate permistos hodierna die extincto, ereptoque persolvimus, eosdem illi jam in cœlestium numerum relato, summo omnium ordinum plausu, ac lætitia, propediem instaurandos animo, ac cogitatione praecipiamus. Dicam igitur de Pii VII. virtutibus, rebusque gestis, maximeque illius in difficillimis Christianae Reipublicae temporibus pro statu Religionis incredibili animi fortitudine, eoque in toto dicendi cursu potissimum spectabo, ut dum Sanctissimi Pontificis persequar laudes, divina illa providentia, qua Christus Pastorum princeps, et exemplum Ecclesiam, gregemque suum firmissime tuetur vel a caecis videatur, et admirabilis praedicetur. Atque ad exhibendam vobis ante oculos tanti Pontificis imaginem, non vulgarem illam quidem, ac translaticiam, sed propriam, sed classicam, ac plane divinam, tanta mihi ipso in limine præclarissimarum rerum copia, tam eximia, amplissimaque occurrunt animo virtutum decora, ut nisi Oratio hæc mea intra certos laudum fines retineatur, jure mihi verendum esse videam, ne, aut quæ graviora sunt, exhaustis jam viribus, non sim pro dignitate pertractaturus, aut certe serius ad illa, quam par est, et a vobis expeti, expectarique probe scitio, necessario veniamus. Multa igitur, quæ in aliorum virorum laudibus pleraque solent oratione prædicari, sunt mihi hac in causa aut omnino reticenda, aut duntaxat innuenda, aut primoribus, ut ajunt, labris tantummodo delibanda. Quamobrem mittam hoc in loco patriæ decus, et antiquitatem, quæ ad usque ultimam perquam longissime si repetis originem, uti semper summorum virorum parens extitit, altrixque beatissima, ita postremis his temporibus

duos

duos edidit (quod nescio an uspiam antea contigerit) alium super alium Pontifices Maximos, qui mira quadam fati consensione, pari studio, pari animi firmitate, pari terme fortuna, licet non pari exitu rerum Sanctissimae Ecclesiae clavum, inter furentissimas temporum jactationes, et egregie tenuerunt, et sapientissime gubernarunt. De Claromontanae vero domus splendore ne verbum quidem, quae sane cum honestissimarum imaginum numero, tum maxime illustrium virtutum gloria, non modo in Italia, finitimisque populis, verum apud exteras etiam nationes satis, superque dignam se probavit, quae hoc nomine tam praeclaro appellaretur. Atque hoc eo libentius, quod ille, etiam tum, cum maxime floreret, id genus decora pro sui animi modestia minimi semper visus est facere. Minimi tantum? Quin, et plane contempsit, et omnino despicatui habuit; ea nimirum sua unius ornamenta esse arbitratus, non quae a majoribus accepta haberet, sed quae industria, ac labore parta sibi uni jure vindicaret. Totum vero illud tempus, quo abjecta omni rerum terrenarum cura, Patriae, Mundique illecebris remisso nuntio, in amplissimam illam, et tot luminibus distinctam Cassinensium familiam ingressus, uni in Deum pietati, Christianaeque perfectioni animo addicto, in illa se doctrinae, ac sanctitatis palaestra instituendum, formandumque tradiderat; hoc inquam tempus, si pluribus, uti par est, ornare minime vacat, at hic omnino tacitus praeterire non possum. Ibi enim Gregorius Barnabas Claromontius prima jecit fundamenta virtutis, quae aucta in dies, ac roborata eo tandem pervenit, ut e claustri finibus, veluti e modio, ubi diu latuerat, educta, et super candelabrum posita per universum terrarum Orbem mirifice collucret, Ibi tanta vitae effloruit innocentia, tanta ibi divinarum,

Lu-

humanarumque rerum praestitit scientia, tanta valuit apud omnes auctoritate, ut emenso jam antea summa cum laude honorum, laborumque domesticorum stadio, maturus demum cognitus sit, et apprime dignus, qui Tiburtinae prius, deinde Imolanae in Foro Cornelii Episcopus praeficeretur Ecclesiis. Ita sane arcana illa divini consilii vis, quae *attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter*, futurum aliquando totius Christiani Populi Ducem, Romae Principem, Religionis assertorem, ad supremum omnium rerum fastigium, Cæloque proximam dignitatem pedetentim comparabat, iisque provinciis, veluti praetoriis, ad omnium maximam, et consularem ornabat, instruebat, exercitabat. Hic vero Gregorius, quam strenue Pastoris vigilantissimi susceperit partes, quantaque cum dignitate obiverit, ex eo potissimum, quod statim ab inita Imolanae Ecclesiae procuratione Romanam Purpuram splendidissimi hostimenti loco a Pio VI., quanto Pontifice I obtinuerit, facile vobis conjiciendum relinquam. Quae quidem omnia, etsi ipsa per se ad copiosissimam laudum segetem abunde sufficiunt, quoniam singularis cujuspiam generis salute continentur, non videntur esse hujusmodi, ut de his hoc in loco longiorem sermonem instituamus. Ad ea igitur, quae non paucorum hominum, aut unius provinciae, sed Universae Ecclesiae respiciunt commodum, neque in Italiae solum, sed in luce totius Europae posita sunt, tota haec mea se se convertit Oratio. Euge nihil moror. Huc, huc quaeso, Auditores Ornatissimi, totum animum advertite, atque illius temporis memoriam replicate, acerbam sane, ac luctuosam, sed ad causam omnino necessariam, quo Pio VI. Pontifici Maximo, Viro in omnem aeternitatem praedicando, per summam injuriam Roma ejecto, et misero, acerbissimoque fato apud hostes immanissimos in ipsa custo-

stolia, et arce extincto, quisnam potissimum in Petri Cathedram sufficeretur, sanctissimi Romanae Ecclesiae Patres diurnis, nocturnisque consiliis Venetiis agitabant. O tempus omnium saeculorum memoria dignum! O rem plane ad immortalitatem consignandam! Tunc enim omnes non sine insigni divinae providentiae prodigio factum esse probe intellexerunt, ut pacatis aliquantisper, ac positis illius terrimi belli atrioribus fluctibus, vis illa tempestatis ad exitium populorum exortae nonnihil resederit, tantumque spatii, induciarumque relinqueret, quantum satis esset, ut novus Pontifex crearetur, et is potissimum crearetur, qui temporum asperitati parem animum afferret. Quis enim furente adhuc veteri, aut novo illo ferocius, non ita multo post, recrudescente malorum turbine, qui Europam universam, et maxime Italiam dire concussit, nisi illud veluti embolium serenitatis a divina esset providentia interjectum, quis, inquam miserrimam Ecclesiae solitudinem non perhorresceret? Quis in tam caeco partium studio, in tanta armorum, atque animorum conflagratione non reformidaret, ne quis latro, aut lupus pro Pastore ab impiis obtruderetur, Christique Sponsam purissimam invaderet, vexaret, dilaceraret? Jure igitur, mestoque totus Christianus Orbis insolita tunc temporis triumphavit laetitia, atque indicta solenni supplicatione gestiendum sibi, Deoque Optimo Maximo, et Jesu Christo Pastorum Principi gratias quam maximas et agendas, et habendas esse judicavit, cum renunciato Gregorio Barnaba Claromontio Pontifice Maximo trepidam jam, rerumque eventu suspensam, non liberatam modo ex tanto periculorum diluvio vidit Ecclesiam, sed etiam in ea, quam ab initio suscepit, se fide roboratum sensit, naviculam scilicet Petri concuti quidem posse, sidere vero, ac mergi nulla vi posse. Age vero tam divinum, tamque va-

varium, atque multiplicem Pontificatus cursum, sane non brevissimum, a carceribus ad metam attentis animis persequamur. Nam ut primum ad rem omnem Christianam gerendam, Coelo, terraque plaudente, accessit Pius, non dicam non indormiendum aliquando, sed ne respirandum quidem sibi existimavit, quin in omnes statim Christianae Reipublicae, Vineaeque Dominicae sibi commissae concussas partes, ac laborantes non oculos solum conjiceret, sed totos etiam corporis, animique nervos intenderet. Neque vero et recens hostium clades, teterrimaque vastatio, et temporum difficultas maxima, morumque prolapsio, et novarum rerum studia non doloso, ut antea, cineri supposita, sed adhuc calentia, atque effraena, et praeteritarum memoria, et futurorum metus periculorum, quae omnia fortissimum quemque frangere solent, ac labefactare, Pium VII. vel minimum commovere, aut retardare potuerunt, quominus durissima laborum discrimina fortiter iniret, statimque tantae malorum grassationi omni ope occurreret. Imo, quo horribilior ei rerum facies obversabatur, eo acrius obnitendum sibi, vehementiusque arbitrabatur. Atque illud in primis curavit quam maxime, columbae usus simplicitate, Christique Jesu mansuetudine, ut novum illum Imperatorem, qui per id temporis rerum potitus ad Imperium totius Europae armorum fortuna, ac impetu rapiebatur, jamdudum tanti Viri captum prudentia, atque humanitate, novis sibi beneficiis devinciret, ac patria charitate complecteretur; eo sane consilio, ut officiorum blandimentis Leonis illius delinita ferocia, et ipse rabiem aliquando deponeret, et factiosorum hominum insanias vel ad sanitatem, disciplinamque revocaret, vel certe auctoritate, potentiaque sua compesceret, ac refraenaret. Quare ab eo in Galliam accitus ire non recusavit, rebusque, si non ex animi sui senten-

 tia,

tia, at pro temporum illorum conditione sapienter compositis, et illius, uti videbatur, amicus, et Ecclesiae unlis e Gallia discedens Romam remeavit. Tum enimvero victore illo potentissimo sibi conciliato, et ab externis armis, periculisque securus in Rem Christianam afflictam jam, et belli impetu dilaceratam toto spiritu conniteus ardentius instituit incumbere. Hic autem ecquod est tantum eloquentiae flumen, Auditores, quae tanta dicendi vis, atque copia, quae Pii VII. caritatem, vigilantiam, sapientiam, omnem denique Apostolicae laudem sanctitatis posset pro dignitate commemorare? Quot ab eo, et sapienter provisa, et decreta utiliter, et gesta fortiter, ut atrocissimis vulneribus Reipublicae Christianae crudeliter inustis medicinam faceret? Quae sollertia, ut undique diffluentem disciplinam redintegraret? Quale studium, ut exundanti corruptissimi saeculi nequitiae fraena injiceret? Quae severitas in judiciis restituendis, quae caritas in moribus repurgandis, quae assiduitas in virtutibus excitandis, quae prudentia in consiliis, quis molus in rebus, quam facilis, quam praeclarus, quam divinus! Uno verbo, nisi Dominus pro peccatis nostris graviores ab humano genere repoposcisset paenas, futurum certe fuisset, ut una tanti Pontificis virtute ex tot, tantisque malis, quanta videlicet prima illa hostium impressio intulerat, brevi convalesceremus. Sed et ad hominum pervicaciam puniendam, et ad Pontificiam pectoris firmitatem universo terrarum Orbi patefaciendam factum est, Auditores, ut novo recrudescente morbo, malorum vis intenderetur, et in gravius illo relaberemur discrimen, quocum antea conflictabamur. En illa Orationis pars, Auditores, cui mihi, veluti scopulo unice adhaerendum puto. En illa temporum asperitas, in qua Pius VII. tam divina praebuit Mundo experimenta virtutis, ut magis in istius calamitate, quam

in aliorum Pontificum felicitate Christiana Religio triumphasse videatur. Et sane, si quando tempus incidit ejusmodi, ut Petri navicula adverso jactata vento pene fluctibus operiretur, Rectoremque ipsum in medio furentium aquarum laborantem Omnipotens Christi dextera luculentissime, ne mergeretur, erexerit; illud profecto fuit, cum portentum illud cyrnaeum cervicibus additum populorum, incredibilibus victoriis, et caede ferocem, perfractis juris, officii, ipsius denique humanitatis repagulis, bello nefario, ac truculento omnibus Europae Principibus indicto, Universum Orbem luctu, sanguine, rapinis, incendioque complevit. Atqui in aliis quidem, qui uti jure suo, seque, suosque fines armis defendere, et vim vi propulsare parabant, a quibus nempe sibi, suisque nefariis molitionibus valde timebat, habuerit fortasse, si ita placet, quod ad inferendi belli necessitatem obtruderet; sed enim, cujus per Deum immortalem criminis agi poterat reus, quare e sinu populi, Senatusque Romani exterminaretur innocentissimus Christi Vicarius, qui et foris, quantum in se erat pacis, et concordiae consilia serebat, et domi tuendae Religioni intentus ad Gregis sui salutem unice advigilabat; et illi ipsi, a quo graviter violabatur, quantum fasque, jusque permitteret, indulgens, benevolus, et gratiosus esse studebat? Quam huic inquietando, vexando, indigne habendo honestam causam obtendet, quo colore tam grande scelus asperget, quid hujus maculae faeditati praetexet? At habet etiam novus hic Agamemnon, vel potius Atreus, ut erat ingenium, quod facile simplicibus imponat. Quid? Audite impudentissimi hominis sive insaniam, sive audaciam. Ego quo nomine appellem nescio. Edicit stans pede in uno de more suo, et uno calami ductu, se Pontifici Romano propterea

 quod

quod, nescio quam occultam cum hostibus Sacrosanctae nostrae Religionis Societatem coierat, idcirco imperium, et omnem auctoritatem abjudicatam voluisse. Neque id, ait, ex Christi se non facere sententia, qui et ipse negat in Evangelio Regnum suum esse de hoc mundo. Pteh superam, atque hominum fidem! In quo tandem saeculo vivimus! Ubinam gentium sumus! Rem, rem certe posteri negabitis, quae paucis abhinc annis, delendis illis quidem, atque expungendis ex omni hominum memoria, sub nostris oculis versata est. De qua porro Religione hic loquitur Christianissimus ille Gallorum Imperator? De illa, credo, quae ex obscuris Alpium faucibus emissa, olim pavida, ac pudibunda in tenebris, solisque loris delitescebat; nuper vero, exhausto pudore, furiosa, et effrons erumpere, atque in lucem, a qua semper abhorruit, ad omnem humanitatis sensum evertendum prodire non dubitavit. Huic quippe insaniae totis viribus sibi obsistendum putavit Sanctissimus Pontifex; hanc impietatem jamdiu Ecclesiae fulminibus confixam novis datis Apostolicis litteris iterum exagitavit. Id pro sui officii ratione et debuit, et fecit. At apud quosnam haec disputat homo ille stultissimus? Apud illosne, qui, qualis ipse esset, non satis olfecerant, an apud eos, qui latis ab eo legibus confundi omnia, ac misceri, extingui sanctissima jura, et instituta majorum, excindi Urbes, et Imperia, bona, fortunasque Populorum compilari, templa dirui, altaria everti, totaque Europa socius amentiae suae distributa, impio latrocinio; non modo delectari, sed exultare etiam, ac triumphare suis ipsorum oculis jam videlant? At nota est Lupi fabula Agnum ad fontem devorare volentis. Itaque missa militari manu Romam, totamque Pontificiam ditionem armis sceleratis occupavit. Video vos, Auditores, ex affrictione molestissimarum re-

rum

tum non mediocriter commoveri. Sed haec ego non commentorarem, nisi adeo cum causa conjuncta esse viderem, ut nisi ad memoriam revocantur, Pii VII. virtus, qualis, quantaque fuerit in illa teterrimi certaminis atrocitate, satis apparere non possit. Roma itaque vi, et armis oppressa, miseraeque, ut cetera Italia, addicta servituti, tanto animarum periculo, quanto ab hostibus Fidei vaferrimis erat timendum, quid interea temporis beatissimus Pontifex jam per summam injuriam exauctoratus, et domi veluti in custodia continere se jussus, quid inquam agere, quam mentem induere, quid consilii intendere? Illud sane, quod viri Apostolici, bonique Pastores simili tempestate jactati, et libentissime suscipere, et tenaciter tenere consueverunt; caput nempe suum in discrimen offerre potius, quam gregem sibi commissum lupo venienti ad devorandum relinquere. Quapropter cessit tempori pro sua prudentia, at hominis stultitiae pro sua virtute non cessit. Toto enim tempore, quo capto similis domesticos intra parietes patientissime agebat, cum jam animo praesentisceret, novum hunc motum, statusque perturbationem novae cujusdam conflagrationis portenta non obscure obnunciare, ad Caelestia illa arma comparanda, quae una rebus in arctis, gravioribusque Reipublicae periculis Christiano viro, et in primis Pontifici Maximo restare, ac superesse probe norat, curam omnem, cogitationemque defixit. Tunc enimvero vividiori in Deum fiducia, quasi galea salutis assumpta, arrepto fidei clypeo inexpugnabili, lata sibi et insigni justitiae lorica praetexta, stricto demum Verbi Dei gladio acutissimo, non lacessendo, sed opperiendo, non adurgendo, sed in gradu fortiter manendo, non feriendo, sed ferendo illorum nobis statariorum Christi militum expressit imaginem, qui cum majorem in modum

dum impetebantur, tum excelsi maxime, atque erecti animo de illis ipsis, qui orbem terrarum vi, et armis expugnarant, præclarissimum triumphum agebant. Hinc etsi in silentio, et spe illatam sibi injuriam perferendam proposuerat, causamque suam in manu Domini, veluti in munitissimo præsidio collocatam habebat, ubi tamen aliquod statutum vulgari, aut legem aliquam ferri noverat, quæ a Christiana disciplina abhorreret, statim ex alto buccina insonabat, qua et audaces terreret, et mutantes confirmaret, et dejectos erigeret, et omnes ad victoriam, quae vincit mundum, exemplo ipse suo instrueret, atque armaret. Quot enim eo ipso tempore, non dicam, submissi, sed publice Romæ propositi libelli, quot comminationes in rebelles palam edictæ, quot datae in dies praeceptiones, quibus unumquemque officii sui, obstrictæque Ecclesiae fidei commonebat? At augeri mala, graviusque cum eo agi necesse erat, ut et caeleste auxilium, quod precibus ille sollicitabat suis, avidius susciperemus, et quanta cum animi aequilibritate innumeras contumelias exsorbuerit luculentius cognosceremus, et studiosius admiraremur. Cum ergo magnus ille Napoleo non modo non timeri, sed obsisti etiam sibi, ac repugnari vehementer doleret, praestigiaque illa sua, vere circaea, quibus incautos prolectabat, renovatae nescio cujus humanitatis, non repudiari modo, sed libere a bonis, palamque exsibilari; Pium vero Pontificem ab illo, in quo semel steterat gradu Evangelicae fortitudinis scopuli instar deturbari non posse, tunc extrema quaeque tentanda, et versis gladiis cum eo pugnandum statuit. Quare Sanctissimum Senem nidum suum quietissime servantem e vestigio opprimi jussit, et a Crucifixi complexu, ab sinu populi Romani, ab urbe abductum armis, militibusque stipatum, primum ad Italiae fines, deinde in Galliam captivum

vum, nequidquam universo terrarum Orbe obmurmurante, deportandum edixit. O scelus! o flagitium in omnem aeternitatem execrandum! Quid fulmina, quid tum tellus obtorpuistis? Quid sceleratos illos non perdidistis? *Sed haec erat hora illorum, et potestas tenebrarum*. Non equidem ignoro et alios olim Pontifices, summosque Viros pro causa Religionis captos, male habitos, contrucidatos etiam fuisse, imo hanc esse veluti a patre filiis transmissam, Ecclesiae praecipuae Pastoribus, a Christo hereditatem; verum illis cum hostibus res fuit immanitate barbaris, religione disjunctissimis, ignorantiae demum tenebris consepultis; in tanta vero luce veritatis enutritos, in tanta antiquitate optimae disciplinae, in tanta litterarum cultura inveniri homines (si tamen homines appellandi sunt), qui patrias religiones, Sanctissimos Sacrorum interpretes, Dei administros impune sibi violandos arbitrantur, id per Deum immortalem impietatis genus, ut incredibile, ita plane intolerabile est. Verum eo revertamur, unde nescio quo doloris aestu abrepta nostra haec discessit Oratio. Num coram, et in ipsa arena ea, quam eminus strenue praesetulit, animi fortitudo corruit exterrefacta, aut vacillavit? Corruit? Vacillavit? Sic equidem opinor. Quin potius in id unum animo paratus, ita videlicet pro Dei gloria certare, ut vinceret, tanta vocis, vultusque constantia conspectum Imperatoris excepit, tanta prudentia modo elusit dolosa officiorum blandimenta, modo respuit atrocissimas minas, ut, quem neque populi tumultuantis audacia, neque maximarum copiarum robur, neque munitissimorum Oppidorum pertinacia, neque maria, neque flumina, neque montes, neque venti unquam, tempestatesque ab impetu retardarunt, hic idem unius hominis constantia se non delassatum modo, sed victum,

pro-

prostratumque animo concidisse non semel conquererctur; ita tamen, ut etiam in hoc illius Attilae Hunnorum Regis, qui terror audiit mortalium, Deique flagellum, audaciam superasse visus sit. Ille enim Sancti Leonis aspectu gravissimo secum intrepide agentis ex improviso perculsus a caede, et rapinis abstinuit, et tanti captus majestate Pontificis eum humanissime dimisit; hic autem impii propositi tenax non modo non dimisit, sed indigne exceptum tantum non interemit. Quanto autem gravior insecuto tempore tempestas ingruerit, quam validiori impetu res Christiana oppugnata sit, supervacaneum est hoc in loco commemorare. Ipsi enim, ipsi vos, Auditores, amplissimos Romanae Ecclesiae Cardinales, sanctissimos Episcopos, electos Sanctuarii lapides per totam Galliam dispersos, miserrima egestate afflictos, pene ad interitum redactos, summo cum dolore recordamini. Hoc unum tamen ad summam tuto me affirmare posse video, quo scilicet Pius VII., suique fortissimi Commilitones acrius oppugnarentur, eo illos vehementius in officio obfirmari; planeque cognitum vel ab ipis inimicis, justum ut palmam florere, verissime praedicari; rursumque vitam Christiano viro eripi posse, virtutem ex animo, ac religionem non posse. Neque vero ille, qui pater misericordiarum est, diu potuit in ira sua misericordiam continere, quin tandem respiceret in faciem Christi sui; cujus animi angorem, ac solitudinem pro sua clementia miseratus, illatam innocentiae injuriam confestim instituit ulcisci, et paenis, quas a ceteris mortalibus repetebat, aliquantulum mitigatis; in illius caput, quem ipse in jugulum humani generis armaverat, ceterosque tanti sceleris opifices, omnem vim furoris sui, indignationemque deflexit. Quid? non enim ex illo fluere Gallorum res, praecipitari consilia, simulque fata Reipublicae; temere, insolen-

ter,

ter, superbe agi omnia? nonne ille lacessere potentissimos Reges? nonne violare bellicosissimas nationes, Germanos, Borussos, Britannos, Hispanos, ceteramque pene integram Europam? nonne illo ipso tempore egregiam illam, ad Moschoviam usque, tanto terrarum, locorumque tractu disjunctam inaudita prioribus saeculis audacia aggressus est expeditionem, in qua, ira e Cœlo offensi Numinis ubertim diffluente, horribili glacie, niviumque aggeribus obruta prope incredibilis equitum, peditumque vis, spes omnis, et fortuna prudentissimi Imperatoris eo ipso in loco, quo facem belli attulerat fame, ferro, geluque peremptа nullo lacrimarum officio miserrime interiit? longa est historia, Auditores, eaque amarissima, neque mihi tantum suppetit ingenii, ut omnia possem una Oratione percensere; neque si suppeteret, humanitate hac vestra tanta, qua me tam jejune de gravissimis rebus dicentem excipitis, vellem abuti. Sunt autem ejusmodi, quae postea consecuta sunt, ut nulla possint oblivione deleri. Igitur ex longo somno veluti expergefacti tum omnes ferme Europae Principes, qui antea, nescio quo fato distracti ab se se, ac studiis dissidentes, lenti certe, et oscitantes in re omnium gravissima votis insanissimi hominis velificari videbantur; tum, inquam, de repente conjunctis animis, atque opibus, incredibili omnium consensione percusso fœdere, maximis post hominum memoriam copiis, multis praeliis, et obstinatis contenderunt adeo, ut Hydram illam acceptis cladibus magis, magisque ferocientem e summo tandem potentiae fastigio dejectam, atque in illis imperii sui parietinis pene consepultam perdomuerint, pervicerint, prostraverint, et a nostris cervicibus, imo et ab hominum consortio, memoriaque tandem aliquando depulerint. Quod, quantum fuerit, quam singulare, quam divinum ipsi vos,

qui molem illam tam firmiter stabilitam, tot praesidiis constipatam, nulla vi, nisi divina everti posse, crebris sermonibus usurpabatis, ipsi vos apud vestros animos statuite, ac reputate. Ego vero, dum haec cogito, Piumque Pontificem in ea ipsa domo, ubi captivus detinebatur, tantum inter strepitum, fragoremque armorum tacitus contemplor, ita plane animo afficior, ut ipsum Moysen ad Cœlum manus protendentem, quando Amalecitae cum filiis Israel congrediebantur, videre videar. Et sane in tanto etiam maximarum copiarum apparatu, in tanto factiorum Regum molimine, in tanto et ducum, et militum bellandi ardore, tamen tanta fuit rei gerendae difficultas; dubiusque, et incertus praeliorum exitus, ut una vox omnium, et una sententia extiterit, insignem illam de hostibus potentissimis victoriam, illius Hostiae sanctitati acceptam referri oportere. Sed quoniam ex tot scopulis, cotibusque teterrimis nostra haec tandem enavigavit oratio, Romam colligendi animi gratia remis, intentisque velis divertamus; illumque pulcherrimum triumphum, quo populus, Senatusque Romanus Principem, patremque suum e praelio victorem redeuntem excepit, intueamur. Quem sane triumphum, cum in publicis litteris descriptum olim legeremus, ex quo primum Columba illa innocentissima ex accipitris unguibus elapsa domum, nidumque suum repetiit, tanta fuimus voluptate perfusi, ut oblata illa nobis reviviscentis Ecclesiae majestate, omnem praeteritarum calamitatum dolorem plane obliviscl, et eo ipso in loco deponere videremur. O diem illum notis signandum insignioribus! O spectaculum totius Mundi admiratione dignissimum! Cum scilicet integrae gentes, totaque Italia sedibus avulsa suis, inflammata cupiditate videndi, consalutandi, colendique Sanctissimum Pastorem suum in illius occursum confertim

ex

ex omni parte confluxit. Incredibile dictu est, Auditores, quo studio Sacrosancta Religio praesidium stabilitatis suae, vindicem suae dignitatis, Atlantem, ita dixerim, prope latiscentis Ecclesiae complexa sit, quo amore, cultuque prosecuta, quot, quantis officiorum generibus! Quae moles prope ad sidera excitatae, quae litterata posita monumenta, quot opera affabre constructa, quot arcus depictis peristromatis ornati! Cum interea Beatissimus Pater per vias floribus sparsas, inter alas militum lectissimas, virorum longe principum corona stipatus, inter flagrantissima vota accidentium hinc, atque hinc cum lacrimis ad pedes curru vectus insigni Romam ingrederetur. In ore, in oculis omnium incredibilis laetitiae sensus eminebat, littora Tyberis, collesque Urbis laetis acclamationibus resonabant, tecta, tecta ipsa, ac templa insolita voluptatis significatione gestire, ac triumphare videbantur. Dicam paucis, neque me arbitror a veritate multum abludere, plurimos jam tum ab Urbe condita extitisse Romae magnos Reges, summosque Imperatores, qui celebritate maxima, pompaque magnificentissima splendidissime triumpharunt; sed ex his cum Pio Pontifice ex Gallia reduce aut signorum copia, aut populi frequentia, aut pulcherrimarum rerum apparatu, qui conferri possim, fortasse non ita multos facile inveniri. Ea quippe terrestri Ovatione caelesti illi triumpho, quem Deo in primis, superisque plaudentibus, mortalitate posita acturus erat, jam tum praevertere visus est. Neque enim illud casu factum esse putetis, sed divino prorsus, altissimoque consilio, ut eo potissimum die triumphans Romam veniret, quo die Gregorii VII. veneranda memoria ab Ecclesia celebrabatur ut cujus studio pro tuenda religione flagrabat, ejusdem hic Gregorius se beatitate, et gloria donatum in aliquando animo praesagiret. Haec ego Auditores paullo prolixius

 com-

commemoravi, ut ita de Pio VII. judicetis, quemadmodum de Sanctissimo quoque, quem summa virtus in omni genere ad Divorum religionem jam consecravit. Quid? Ignoratisne vos, Auditores, quam benigne, quam familiariter cum tanto Pontifice egerit Deus? non occurrunt passim luce ipsa clariora testimonia? Quorum si singula hic narranda, ordandaque susciperem, prius me dies, vox, latera deficerent, quam exitum invenirem. Atque ut illud omittam, quod prodigii loco haberi debet, eum scilicet in tam vasto acerbitatum pelago tandiu fluctuantem, tot itineribus defatigatum, tot laboribus attritum, in quibus non semel etiam capite ab eo dimicatum est, in tanta praesertim aetatis, atque valetudinis indicatione, non solum victum non succubuisse, sed etiam diutius, quam sperari posset et vitam, et Pontificatum tenuisse, ut hanc igitur omittam, non vulgarem quidem divinae providentiae testationem, quod quaeso, Auditores, judicium feretis, quid dicturi estis de reliquis factis ejus, dictisque praeclarissimis, quae si bene considerantur, ejusmodi esse inveniuntur, ut cum iis quae a summis, sanctisque viris, dum hic in terris verarentur, et dicta divinitus, et facta esse narrantur, verissime comparentur; an non recordamini, inter alia multa, quae pictis etiam imaginibus passim vulgata sunt, et publice circumferuntur, cum iterum turbatum in Europa esset, hostesque jam devicti, ac profligati novam belli fortunam tentarent, non recordamini, inquam, Pium Pontificem insidiarum conscium, Roma discedentem, propositis publice libellis, senatum, populumque Romanum commonuisse, simulque praedixisse, nescio quam aliam exiguam pluviam Ecclesiae imminere, brevi tamen, quod citra omnium spem probavit eventus, duraturam? Quae urbes, quae loca sunt, ubi aliquod admiratione dignum non reliquerit impressum vestigium?

Au-

Audite, audite rem fide longe majorem, his praesertim moribus, atque temporibus, sed eam a summo viro et narratam, et testatam habemus. Te, te inquam testem appello praeclarissimae Neapolitanorum Antistes, et Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis amplissime; tu enim cum ex misero illo, fataliquo dispersu in sinum Ecclesiae tuae magnis itineribus convolares, cumque apud nos ingruente jam nocte diverterere, et hanc Episcopalem domum, quae te excepit, honore summo afficisti, et nos cum praesentia, conspectuque tuo longe jucundissimo, tum rerum admirabilium narratione recreasti. Abs te multis ex nobis audientibus accepimus, et filium viri longe principis extremo morbo laborantem, et sanctimonialem Januensem luminibus captam, et alias alios gravissimis morbis conflictatos accepta apostolica benedictione ab instanti periculo liberatos. Quin maria, maria ipsa oblata repente insperata piscium copia imperio, voluntatique illius obtemperasse. Quae quidem omnia satis ostendunt, in hoc Pontifice, non pauca esse, quae humano fastigio celsiora extitisse, juxe ab omnibus praedicantur. Jam vero, quod reliquum est viae per compendia decurramus. Itaque nebula illa renascentis belli statim, sicut ille praedixerat, evanescente, vix dici potest, quanta animi, corporisque contentione ad ea, quae postrema hac, teterrimaque grassatione perculsa, prostrataque jacebant, erigenda, ac relevanda pervolarit. Illud certe, quod datis ad omnes Christiani populi Principes amantissimis litteris tam sapienter, tam studiose, tam graviter, paternequo egit cum iis, ut non Orthodoxos modo, et filios Ecclesiae obsequentissimos majorem in modum sibi, sedique Apostolicae obstringeret, sed ipsos etiam a nostris institutis alienos, et a Catholica communione sejunctos in sui amorem, venerationemque conciret, illud inquam omnino majus est, quam

non dicam haec mea, quae nulla est, sed cujuspiam non posset eloquentia satis digna oratione complecti. Quotus enim quisque est, qui animo non senserit, oculis non viderit, manu denum non attrectarit, quanto populorum exitio, quam pessimo publico factum sit, ut postremis his temporibus duo illa summa imperia a Deo optimo Maximo constituta, quorum unum praesentis hujus vitae, in qua brevi versamur, respicit felicitatem, alterum animorum regimen, vitamque spectat sempiternam, sibi invicem non admodum convenirent? Quae enim sublata illa mutua utramque inter majestatem consensione, quae, per Deum immortalem! temporum, morumque conversio facta est? Quae pulcherrimae disciplinae labes insecuta? Quae Reipublicae perturbatio, quam fæda divinarum, humanarumque rerum permixtio? Quis unquam fuit, aut esse poterit, qui tantam malorum illuviem, quibus nostris oculis paucos ante hos annos, oppressam, ac pene sepultam vidimus Europam, aliunde profectam existimaret, quam ab una hac pestifera causa, ac luctuosa? jam enim illud ex longo rerum usu, et nostro etiam nunc periculo satis certum, exploratumque est, quandiu quae sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei Deo fideliter reddita sunt, Respublicas pulcherrime stetisse, vitia hominum extabuisse, imperia floruisse, et miro Cives concordiae fœdere conjunctos pace, ac felicitate perpetuo affluxisse. Quod cum probe intelligeret sapientissimus Christianae rei moderator, quid ut accisis populorum rebus opem afferret, quid hoc antiquius sibi habendum duxit, quid non tentavit, quid reliqui fecit, quem lapidem non movit, ut Sacerdotium, et imperium, quocumque modo posset, statim in gratiam adduceret? Quod temporibus nequidquam interpellantibus effecit sedulo, et datis ultro, citroque legatis tandem perfecit. Tum nimirum jucundiorem habi-

tum

tum sumpsisse visa est Europa, tum respirare, tum emergere e fluctibus visi sumus, tum omnia secundiore cursu procedere. Sane cum vidimus per Regem nostrum Ferdinandum Ecclesias jamdiu viduas, et situ, luctuque confectas Pastoribus, virisque suis iisdemque optimis castissimo conjugio copulatas, cumque illud etiam vidimus ejectas Religiosorum familias, de quibus jam conclamatum esse videbatur, ad sedes iterum suas adductas, ac revocatas tum enimvero signum veluti quoddam sublatum esse vidimus ad bene sperandum de omni Reipublica; nimirum fore, ut aliquando per assiduos, industriosque cultores, factis optimis antiquae disciplinae seminibus, haec nova barbaries, quae ad exitium religionis nuperrime enata est, aut stirpitus eradicaretur, aut certe mitesceret aliquantulum, et squalens rerum facies in pristinam hilaritatem quantocyus revivisceret. Atque ut hic finem dicendi faciamus, ubi nova exurgit copia, et seges amplissima, ad extremum Sanctissimi Pontificis vitae actum extremo hoc tandem orationis spiritu conmitamur. Verum quo, quo miseri animum convertimus? quam cladem intuebimur? quale vulnus refricabimus? Tantumne Pontificem amisimus? tanto lumine orbati sumus? tanti praesidii firmitate spoliata est Christiana religio? At o bone Deus, quo tempore? quam importune! quam nobis, nobis inquam adverso! Illo nimirum, fodit animum memoria, atque ipsos oculos commoveri necesse est) illo nimirum, Auditores, temporis articulo, cum eo loci eramus nos, ut si paullulum remorata esset haec tanta calamitas, neque tam subito votis, gaudiisque nostris mors invida intercessisset, expectatissimum Pastorem suum, electum jam a Rege nostro amantissimo, ac commendatum, lacrimis, et squalore perlita non haec misera desideraret Ecclesia; neque vero, quod jamdiu sperarat et ad veterem illam, quam olim accepit acerbissimam plagam, et ad hanc novam leniendam, quae nuper inflicta est, hoc misero, fatalique die, solatio careret optato. Tuo,

tuo potissimum, Aversa, factum est malo, ut nempe interposito illo terribili casu spes omnis ista tua una corrueret, squalori squalorem adderes, lacrimis lacrimas adjungeres. Quis enim, quis hic divinam indignationem non sentit, quis haec ominosa tibi, et foeda esse non videt? quis non veretur, ne quid in tanto funere lateat, quod tibi Deus iratus hac ratione denunciet? At enimvero nihil est Auditores, cur nostra infortunia deplorantes animae Sanctissimi Patris tam insuaviter obstrepamus, et pacem illi, aeternamque quietem lacrimis, questibusque nostris interturbemus. Jam enim ille curis, vigiliis, laboribus, senio demum, atque adversa diutina valetudine ad novissimum quadrantem plane expiatus; de corpore mortis hujus, quod ultra ferre non potuit, veluti e carcere liberatus, accepturus in capite suo coronam de lapide pretioso inter beatorum Pontificum choros XIII Kalendas Septembres ad Cælum convolavit. Quid? an tibi Beatissime Pater coronam illam justitiæ tantisper dilatam esse, quispiam posset vel solum suspicari? Tibine, qui a primo rationis crepusculo ad ultimam usque lineam vitam ad omnem pietatem compositam in cœlestis ne traduxisti? qui Monachus Benedictini Instituti sanctitatem ab ipso Conditore acceptam ad unguem moribus expressisti? qui Præsul amplissimus concreditam vineæ partem ad Evangelicæ libram disciplinae impigre excoluisti; qui demum temporibus longe durissimis Pontifex Maximus, Christique Vicarius, ne quid Christianae Reipublicae dignitas detrimenti acciperet, animam tuam pro religione devovisti, Teque in Civitatem munitam, in Columnam ferream, in murum aeneum Regibus, Principibus, Sacerdotibus, et populo terrae a Deo positum ad miraculum praestitisti? uno verbo, qui pro Dei gloria bonum certamen certasti, cursumque apostolicum apostolicis la-

boribus, tantum non effuso sanguine, feliciter consummasti. Tibine expiandum aliquid restare adhuc, ac superesse forte quispiam existimaret? Qui ita credit, aut nullo se prodet religionis solatio teneri, aut certe haec omnia, quae de Te uno ore praedicantur, unus omnium ignoret necesse est. Quae cum ita sint, intuere ergo ex illo Beatorum domicilio, quo Te jam pie nos invectum esse credimus, intuere, beatissime Pater, universum terrarum orbem tuo interitu, desiderioque concussum; intuere hominum studia, intuere insignia, quae nullo non loco, nullo non ab ordine magnificentissime edita sunt observantiae in Te, in te, inquam, Beatissime Pater, de omni hominum genere praeclarissime meritum, cultusque sempiterni testimonia. Non ista quidem sanctissima funerum officia, quae modo Tibi, pompa qua potuimus, rite, pieque persolvimus, ideo a nobis procurata, et instituta sunt, quia deesse aliquid felicitati tuae putaremus; sed ad testandum amorem nostrum instituta sunt; ad colendam memoriam tuam instituta sunt; ad gratulandum Tibi summum, sempiternumque bonum instituta sunt. Quare excipe obsequentissimas erga Te filiorum tuorum voluntates, et si qua rerum adhuc mortalium cura tangit beatos (tangat enim acrius necesse est) excipe hujus Ecclesiae, hujus Civitatis lacrimas amarissimas, vide luctum, vide squalorem nostrum, vide sedis istius solitudinem; precibusque effice apud Jesum Christum Dominum nostrum, Pastorum Principem, et Episcopum animarum nostrarum, ut cujus orbitati communi naturae necessitate interceptus hic in terris agens consulere non potuisti, e Cælo impetrata nobis celeri, faustissimaque novi Pontificis creatione quamprimum consultum iri videamus.

MO.

MONITUM.

Quae de Napoleone dixit Orator, non ea quippe mente dixit, ut hominum adversus hominem, qui jam mortuus jam judicatus est, conflaret invidiam. Sed posteritatis gratia dixit, ut nimirum quae temere, insolenter, impie fiunt, omnes detestentur; quae vero moderate, juste, sapienter, haec imitentur; neque humanarum molitionum fines eosdem esse arbitrentur, quos cupiditas, aut potentia; sed quos ratio, justitia, honestas homini constituit.

Digitized by Google

ELOGIA

AB AVERSANO CLERICORUM SEMINARIO

EDITA.

Ante fores templi.

PIO . VII. PONT. MAX.

VERE . INCOMPARABILI

MELIORIBVS . ETIAM . SÆCVLIS . INVIDENDO

RELIGIONIS . PROPVGNATORI . STRENVISSIMO

E · SINV . ECCLESIÆ . HEV . NVPER . EREPTO

HEIC . IVSTA . PARENTALIVM . OFFICIA

MORE · MAIORVM

PERSOLVVNTVR

SIVE . CIVIS . SIVE . ADVENA

CVI . IVS . FASQVE . SIET

INGREDITOR

AC. TANTÆ. TOTIVS. CHRISTIANI. ORBIS. CALAMITATI

ILLACRYMATOR

In fronte Tumuli.

PIVS . VII. PONT. MAX.

CÆSENÆ . NOBILI . CLALOMONTIORVM . GENERE . NATVS

E . SACRO . CASSINENSIVM . COENOBIO

IN . QVOD . SE . SE . HONORVM . CONTEMPTOR . ABDIDERAT

TIBVRTINO . PRIMVM . FOROCORNELIENSI . DEIN . EPISCOPATV

DECORATVS

ATQVE.IN.AMPLISSIMVM PVRPVRATORVM.COLLEGIVM COOPTATVS

DEMVM . AD . SVMMI . PONTIFICATVS . APICEM

IN . TVRBVLENTISSIMA . ECCLESIÆ . TEMPESTATE

DIVINO . AC . MIRABILI . PLANE . CONSILIO . EVECTVS

PIETATE . DOCTRINA . SVAVITATE . PRVDENTIA

ANIMIQVE . POTISSIMVM . MAGNITVDINE . AC . FIRMITATE

IN . PETRI . NAVICVLA

INTER . VEHEMENTISSIMAS . PROCELLAS . GVBERNANDA

ADEO . EXTITIT . ADMIRANDVS

VT . EX . QVO . PRIMVM . DIE . ECCLESIÆ . CLAVVM . TENVIT

AD . EXTREMVM . VSQVE . SPIRITVM

QVOTQVOT . IN . RELIGIONEM

TETERRIMI . SE . SE . HOSTES . COMMOVERVNT

DEVM . PERPETVO . OBSECRANDO

CONSTANTISSIME . ADVERSA . PERFERENDO

FIRMO . ANIMO . OBSTINATOQVE . RESISTENDO

NON . FRACTVS . EXILIO . NON . MINIS . PERDITORVM . HOMINVM

AC . POTENTIVM . TERREFACTVS

AD

AD . VNVM . OMNES . SVPERABIT . FREGERIT . DISSIPARIT

TANDEM

CVM . SATIS . LABORIBVS . AC . GLORIE . SVPERQVE . VIXISSET

QVI . NVLLA . EXANIMATI . PROPE . CORPORIS . INFIRMITATE

NVLLAQVE . FVERAT . SCELERATORVM . VI . PROSTRATVS

DOMI . SVÆ

E . REPENTINO . CASV . CONFRACTO . FEMORE

BINOS . FERE . POST . MENSES

TOTO . CHRISTIANO . ORBE . IACTVRAM . COMPLORANTE

DIEM . OBIIT . SVPREMVM

XIII. KAL. . SEPT. AN. S. MDCCCXXIII.

ANNOS . NATVS . LXXXI. D . VII.

PONTIFICATVS . ANNO . XXIII. . M. V. D. VII.

Digitized by Google

Ad latus Tumuli sinistrum.

INCOMPARABILEM . PII . VII. . ANIMI . FORTITVDINEM
QVI
EVROPA . LONGE . LATEQVE . BELLIS . CONFLAGRANTE
NE . QVID . RELIGIO . DETRIMENTI . CAPERET
TETERRIMIS . MALORVM · TVRBINIBVS
IACTATVS
ATQVE . IN . DISSITAS . AB . VRBE . REGIONES
PER . SVMMAM . INIVRIAM . DEPORTATVS
IMPERTERRITA . VVLTVS . CONSTANTIA
QVÆCVNQVE . SE . SE . ILLI . OBIECERVNT
RERVM . DISCRIMINA
ASPEXIT
NEC . NON . ÆQVALIS . IN . OMNI · VITÆ · INÆQVALITATE
SVBIIT . PERTVLIT . SVPERAVIT
GENTES . POPVLI . INSVLÆ . LITORAQVE . PRÆDICARVNT
VOS . O . QVOTQVOT . ESTIS
A. D. O. M.
TANTO . PONTIFICI
REQVIETEM . ET . CORONAM . SEMPITERNAM
TOT . LABORIBVS . MERITAM
ADPRECAMINOR .

Digitized by Google

Ad latus Tumuli dextrum.

PIVS VII. PONT. MAX.

NEC . IN . SVMMO FASTIGIO . COLLOCATVS
NON HVMILIS CORDE
CERTANTIBVS . LICET . REGIBVS . PRINCIPIBVS . POPVLIS
HONORIBVS MVNERIBVS OFFICIIS
EVM . AMPLIFICARE
NEC . INTER . PROCELLARVM IACTATIONES . PLVRIMAS
ASPERA . QVÆQVE . EXPERTVS
NON MITIS
ATQVE . AEQVO . ANIMO . FERENS . OMNIA
AD EXTREMVM . VSQVE . DIEM
PERMANSIT
HOC . A . CHRISTO . SERVATORE . ATQVE . MAGISTRO
A TENERIS DIDICERAT
HOC . EXPRIMENDVM . CVRAVIT
IN . OMNI . VITA .

Digitized by Google

In postica Tumuli parte.

ECCLESIA . HEM . ECCLESIA .
CVIVS . FVNDAMENTA . IN . MONTIBVS . SANCTIS
QVAM . PRÆCLARVM . TIBI . SVBDVCTVM . MONTEM
DOLENDVM . EST
PIVS . VII· PONT. MAX. . DE . SVMMO CLAROMONTIVM . GENERE
. CVIVS . TV . IN . DORSO . HEIC . POSITA
NVLLA . VENTORVM . IMBRIVM . TVRBINVMVE . VI
QVATEFIERI . POTVISTI
CONCIDIT . HEV . CONCIDIT
PRO OFFICIO . IPSA . TVO . INSOLABILITER . INGEMISCITO
QVIQVE . MOX . TANTAM . REPARET . RVINAM
AB . IPSO . MONTE . PRINCIPE
ET . SVMMO . ANGVLARI . LAPIDE . CHRISTO . IESV
VOTIS . PRECIBVS . LACRIMIS . EXPOSCITO

VA1 1514775